Sempronius.

Praecordia geſtiunt, micat animus, totus exulto.

Titius.

Quam ob rem?

Sempronius.

Optimam maximamque, quae hic contigit unquam.

Titius.

Tun' illam vidiſti?

Sempronius.

Vidi utique, & viderunt Concives mei ad unum omnes, ſpectatores innumeri utriusque ſexus; Auditores omnium ordinum honoratiſſimi, & corpore & animo praeſentes, ſeu inter praeſentes.

Titius.

Recenſe ergo, ſi placet, montana iſta prodigia.

Sempronius.

Recenſebo, ſed cui?

Titius.

Titius.

Exteris, quibus tam beatis esse non licuit, tantae testes ut fuerint solemnitatis.

Sempronius.

Docebo, sed facundia me deficit, qua soli pollent Primores Populi.

Titius.

Fateor; vena tamen polles Poëtica, qua Elogia ceciniſti Electoralia, noſtrique laudes Myrtilleti.

Sempronius.

Illa rauco cecini gutture, non ſuavi lyrae modulamine, Parnaſſi necdum ſubiens penetralia; has autem plus tempore cecini, praecipuas permittens peritioribus.

Namque habent ſua Cauſae Pauſaeque fata.

Titius.

Parum hoc mea refert; qui non tam quando, quam quid dicatur inquiro. Veritas ſemper eadem, & praevenire melius eſt, quam praeveniri; prior tempore, potior jure.

Sempronius.

Tuo igitur Ven. Magiſter! deſiderio ut ſatisfaciam, narratiunculam meam ordiar,

tria

tria continentem, A. Pracedentia. B. Concomitantia. C. Consequentia.

Titius.

Recte is, cui certum minitatur Pallas honorem. Qui enim bene distinguit, ille bene docet; nostraque singularis benevolentia de re maxima, imo Augusta differentem excitabit.

Sempronius.

A. Novum sacrumque opus indefessa praecessit industria. Viae Cis & trans Nicrinae dilatatae, complanatae & sicut munimen Valentinianum (das Schloß Eichelsheim) improbo militum labore contra immanem undarum impulsum in tuto quondam collocatum; ita Porta haec Carolina per aquariae rei peritos inquietudine errantis amnis exemta, validaque reddita fuit.

Titius.

Nullae ne autem Vetustatis reliquiae a fossoribus repertae?

Sempronius.

Omnino; antiquissimae cujusdam portae fundamenta detecta cum nonnullis avi-

tae

tae ſimplicitatis atque fortitudinis ſymbolis.

Titius.

B. Omnibus ſic rite praeparatis, Sereniſſimus Elector Palatinus, quo Ipſemet in Perſona ſupernam ſuperbamque hanc portam inaugurare dignetur, ſubmiſſe imploratur; humillimo Clementiſſime annuens petito, Aulae invitantur Proceres, nec non univerſa, quae Heidelbergae ſunt, Collegia & Miniſteria Eccleſiaſtica. Urbem Campanarum interſonitum intrans per diſpoſitos civium armatorum ordines ad locum pergit deſtinatum, ibidemque a Militum, ab Equitum cohorte tympano & vexillo ſalutatur. Comitatu ſuo & famulitio ſtipatum ſtantemque Principem Urbani Senatus Director alloquitur, mirificas pro tanta Electorali gratia laetae Urbis nomine gratias agens. Quam perelegantem Orationem altera mox excepit, haud minori ſuada καὶ ἐνέργεια Cathedralis Eccleſiae a Decano habita.

Carmina, an hymni animos mulcentes & aures? totiusque Campi Sciagraphia offeruntur.

Popu-

Populo novae portae archetypus oſtenditur. Tunc cum Decano in fundum deſcendit Elector, primariumque lapidem muſicos inter concentus ponit, tegit, obſtruit, infertis eidem Inſcriptione Stannea, nummis argenteis, officialium Pal. Calendario, pane, binisque vini lagenis, rite prius conſecratis, ſerena mente, coeloque ſereno, fido ſolis Patrii comite, actum finiens.

Sempronius.

Quod felix & fauſtum, Patriaeque ſalutare ſit! Salomo namque ubi Palatinus, ibi ſalus, pax & gloria regnat perennis. Exoptata AUGUSTI praeſentia & ſaepius utinam & longius fideliſſimos relevet recreetque ſubditos!

Titius.

C. Principi ocularem muri Nicrini praefatique archetypi poſt inſpectionem aeſtivum ad Palatium revertenti uno acclamabatur ore: VIVAT VIVAT CAROLUS THEODORUS AD NICRUM. Romanorum more Imperatorum, ac praeſertim Trajani & ſe a commorationis loco, hunc-

que

que a ſe Ipſo in nummis nuncupare ſoliti, teſte illo Dacicam poſt victoriam cuſo:

IMP. CAES. NERVAE. TRAJANO OPTIMO AUG. GERM. DAC. PARTHICO P. M. TR. S. COS. VI.

Nec non alio, hac cum Epigraphe:

S. P. R. R. OPTIMO PRINCIPI S. C. AQUA TRAJANA.

Itemque. VIA TRAJANA.

Ut APPIA ab Appio Claudio dicta
Appia longarum teritur Regina Viarum.

Quare ergo Comitem Palatinum ad Rhenum, hodie Nicro proximum, haud nominaremus CAROLUM THEODORUM AD NICRUM, hunc fluvium *aquam Carolinam*, hancque platearum Heidelbergenſium coronam, (das kalte Thal) *viam Carolinam*, perpetuam rei in memoriam?

Sempronius.

Attice hanc narraſti, infanſte non invenuſte

ſte vates! * Vale, feriisque vindemialibus quiete fruere ac laetitia; Eraſmiani tamen illius ſemper memento: Boni Poetae eſt, in extremo actu eſſe optimum. Coronidis loco cordialia noſtra & Patriotica conjungamus vota, Tuis ex deliciis in fine & ſinefine canentes:

Floreat aeternum Princeps CAROLUS THEODORUS
Deliciae Patriae dulcisque amorque ſuae.
Floreat *Electrix* Illa *Auguſtiſſima* Conjux
Quae ſceptrum molli flectit & Ipſa manu.
Electoralis Domus alma Auguſtaque ſurgat
In decus extremum PALLADOS orbis item.

Dixi, A°. Saec. & aetat. 75. Dicamque, dum Spiritus hos regit artus.

---

* Carolus IX. Gallorum Rex & Ipſe Scitus Poeta, quique Poetas in ſummo honore habuit, Poetas inſtar equorum generoſorum alendos non ſaginandos dicebat, teſte Thuano.